17

Q. D. B. V.

THESES INAUGURALES MEDICÆ MISCELLANEÆ,

QUAS

ANNUENTE DIVINO NUMINE,
Ex Decreto Gratiosæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

VIRO Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atque Experientissimo,

DNO. RUDOLPHO JACOBO CAMERARIO,
Phil. & Med. D. hujusq; Professore Publ. Ordinario, Facultatis h. t. Decano,

Domino Patrono & Præceptore submissè colendo,

Pro Licentia
Honores & Privilegia Doctoralia rite obtinendi

In Aula Nova
d. 14. Aug. MDCCXV.
Solenni Eruditorum Examini exponit
ULRICUS ZELLER, Physicus Bahlingensis.

Literis Joh. Conradi Reisl.

PARENTI OPTIMO

VIRO

PLURIMUM REVERENDO atque DIGNISSMO

DNO. JOH. PHILIPPO ZELLERO,

Diœceſeos Bœblingenſis Superrattendenti Speciali Meritiſſimo,

filiali obſervantia ſemper colendo,
publicas,
pro innumeris in ſe collatis beneficiis,
gratias agit,
eoque nomine hoc, qualecunque,
publicum tamen monumentum ponit,
ejusque Paterno amori, qua par eſt, ſubmiſſione,
ulterius ſeſe commendat

filius ad obſequia quævis paratiſſimus

ULRICUS ZELLER.





Ulta videntur & non ſunt, multa ſunt, & non videntur. Frequens hoc evenit, uti in aliis, ita cumprimis in re Medica, iis præſertim, qui ſpecioſis Syſtematum commentis imbuti, infirmis eorundem fundamentis fragilia ſuperſtruunt concluſionum ædificia. Sic fallimur ipſi, fallimusque alios, dum inanem auram captamus, canique Aeſopico ſimiles vanam incertiſſimæ præjudicatæque theoriæ umbram reali rationalique experientiæ præferimus. Conſtitui mecum in præſentia, ubi virium tentamen mihi ſubeundum eſt publicum, paucos modo, ſed tritiores ex multis ejusmodi erroribus ſeligere, eorumque examen ſuſcipere: faxit Deus feliciter!

Theſ. I.

MArs in ſubſtantia ſua & præparatis jam à longa annorum ſerie viſceralis obſtructionumque reſerator habitus eſt: ſcilicet nondum ſufficere videbatur torquendis ægrotantibus infinita medicamentorum farrago, niſi ferro adhuc in eorum viſcera ſæviretur. Videamus è quibus conſtet ferreus hic morborum debellator, quomodo agat & quid patiatur, è quibus cognitis facili negotio inclareſcet, quid de illo promittere nobis poſſimus, quid timere debeamus. Conſtat autem ferrum ex terra metallica ſpecifica, & oleo ſeu ſulphure quodam inflammabi-

mabili, uti id ex ipſius analyſi syntheſique clarum eſt. Acidum, quod in eo deprehenditur, ſitne de ipſius eſſentia, an vero peregrinum ſenſim ſenſimque interſtitiis ejusdem ſeſe inſinuet, adhuc ſub judice lis eſt: tranſeat modo hoc, à me hic loci non examinandum; certum interim eſt, acidum ferri deſtructorem eſſe, in tantum ſc. pro uſu, rubiginis, quam contrahit, teſtimonio, quoque melius ferrum, eò minus acidi continere. Terra iſthæc oleumque vinculis non admodum arctis cohærent, unde Mars admodum ſolubilis eſt, porosque ſuos à varii generis ſalibus reſerari patitur, acido etiam levi obtemperans; perit autem iſthæc ad ſolutionem proclivitas, quamprimum oleum avolat, unde patet, merito exulare debere ferri talia præparata, quæ oleo ſuo vel in totum vel certe maximam partem ſpoliata, & per conſequens ad ſolutionem inepta, quia, qualia intrarant, ſine mutatione, ventriculi inteſtinorumque periſtaltico motu rurſus extruduntur. Contingit autem olei iſthæc à metallo ſuo ſeparatio cum ingenti impetu, uti id experimenta Lemeriana circa fulminationem in liquido, & terræ motum arte producendum, abunde teſtantur, qui impetus à violenta duriſſimarum acidi molecularum cum oleoſis colliſione, fortique metallicarum particularum renixu oriundus, ante exacte conſummatam ſolutionem, non ceſſat. Quam primum autem Mars oleum ſuum perdidit, ſolutilis ulterius non eſt, nec ulli acido cedit, hinc chalybs non niſi difficulter, ♂ autem croci calcesque prorſus non reſolvuntur. Unde colligitur, intra corpus aſſumti proceſſum integrum hunc eſſe: 1. Martis limatura ob pondus ſuum ventriculi & inteſtinorum periſtaltico motui plusquam alia aſſumta reſiſtit, & pro varia hujus vi plus minusve in iisdem commoratur, adeoque occaſionem præbet ſpiculis ſalinis ſeſe penetrandi atque reſolvendi, qui primus uſus abſorbendi ſco-

po

po magni æstimandus est. 2.) Mars à salibus, si quæ offendat, (uti quidem cacochymiæ acidæ potius convenit, quam cuicunque alteri) dissolvi incipiens, oleum suum cum vi impetuque dimittit, quod non solum molecularum suarum in fumum atque adeo minutissima corpuscula resolutarum figura sanguini tenuando aptissimum, verum etiam peregrino impetu activius redditum, in parvulos lacteorum vasculorum hiatus irrumpit, & hinc in M. S. deductum, ipsam vel attenuando materialiter, vel movendo formaliter obstructiones reserat, quod in cachecticis, præcipue autem chloroticis ita evenire, genarum mox post assumtum ♂ phlogoseon instar prosiliens rubor aperte evincit. 3. quæ reliqua est ♂ pars metallica, resolvi ulterius nescia, dicto motu peristaltico sensim sensimque promovetur, cumque moleculis constet, quarum diameter illâ hiatuum vasorum lacteorum utplurimum major est, illa non subit, sed una cum alvi fecibus pergit, easque undique pervadens nigro colore tingit, evidenti argumento, quod lacteorum minutula orificia vel plane non, vel in dosi admodum parca subire potuerit. Unde sequentes emanant conclusiones: 1.) ♂ inter absorbentia quidem excellit. 2.) ad reserandas obstructiones eadem præstat, quæ alias a ♀reis, resinosis, spirituosis expectantur, idque eo magis, quod olei sui ἐνέργεια à liquore ventriculi non debilitatur, sed potius ab eodem per solutionem excitatur. 3.) visceralis tamen non est, nisi per accidens, quatenus sc. obstruentem sanguinem (qui vasculorum parietes dilataverat, adeoque eorum tonum labefactaverat) tenuat & in motum ciet, atque ita vasorum fibris libertatem reddit sensim sensimque sese rursus constringendi. Unde 4.) rhachiticis hydropicisque consummatis parum auxilii præstat, quum in iisdem membranæ vasculorum, lacteorum præsertim & lymphaticorum, a liquore conten-

ro nimis jam distentæ sint, quam ut adeo facile pristinum tonum recuperare queant. 5.) quod si forte fortuna, hiantibus nempe p. n. lacteorum orificiis, metallicæ quædam intrârint moleculæ, id ipsum malo omine, & pejore adhuc eventu contigisse crediderim, quum metallica ista corpuscula non solum rigiditate sua & figura in teneros canaliculorum parietes impingendo, eos disrumpere, verum etiam mole sua & magnitudine (præprimis, si plura sensim sensimque sibi invicem agglutinentur) loco reserationis desideratæ, obstructionem producere possint irreserabilem. Imo, quid si hac ratione tentare quis ausit celebre illud in morbis, quos magicos vocant, symptoma, si sc. non præstigiis res agitur, sed corpora ferrea in vasis vel vasorum interstitiis reperiantur, dicendo, quod moleculæ ferreæ plurimæ vel Cartesiano appulsu, vel Newtoniana attractione, quorum utrumque in minimis maximum est, accedente insuper lymphæ sanguinisque glutine sibi invicem superpositæ, corpora istiusmodi constituant? verum hæc ὡς ἐν παρόδῳ. 6.) quia potissima ♂ virtus in ipsius ⁂ consistit, croci autem eodem vel prorsus orbati sunt, vel pauco dotati, & ad solutionem inepti, facile patet, ferri limaturam simplicem talibus, utut specioso aperientium titulo superbiant, crocis præferendam esse, & post hanc in ordine æstimandas illas ferri præparationes, quæ maximam olei partem conservant, reliquas tanquam inutiles pro scopo de obstruendi aut etiam noxias è materia medica relegandas. Ferro quidem Chalybis limaturam aliqui prætulerunt: & videri posset hic de sulphure plus participare, quia cum inflammabilibus paratur, & scintillas cum silice sibi excuti patitur; verum quia difficilius ferro solvitur ab acidis, vix erit æque κατ᾽ ἄνθρωπον. 7.) Denique nec liquidæ martialium formulæ, tam vitriolum purum, tincturæ &c. quam acidulæ ferrugineæ, atramentosæ sua laude carent,

juxta

juxta prudentiam practicam pro conditione causarum & subjectorum suum cuique tribuendo, uti celebriores rariorum apud nos harum Scriptores longo usu didicerunt, seu experti docuerunt.

Thes. II.

Succedat ♁, ex ejusque præparatis diaphoreticum minerale, quod sudoris provocatorium, absorbens, imo à quibusdam alexipharmacum habitum fuit, uti jam dum bezoardicum minerale audit calx antimonij consimilis. Quod, quam parum cum veritate conveniat, ex medicamentj hujus præparatione, diversaque ad diversa corpora habitudine patet. Præparatio notior est, quam ut multa expositione egeat, sufficiat dicere, quod dictum medicamentum sit calx ♁nii, acido plane orba; cui an & quantum de nitri terra accesserit, adhuc determinandum erit. Acido ante calcinationem suam scatuerat copioso, sed ignis actione omnem ad acidum habitudinem amisit, quod secundum Dn. Lemery observationes tr. d. Antim. pag. 616. cum aliqua differentia multoties expertus sum. Antimonium enim diaphoreticum bene edulcatum neque cum 🜊to, neque cum 🜩 nitri, neque cum 🜩 salis ullam vel ebullitionem vel calorem perpessum est, cum 🝆 vitrioli sine ebullitione tantillum incaluit, in digestionem positum cum dictis acidis omnibus ullam ulteriorem mutationem non dedit, quod, quantum cum supposita absorbendi virtute pugnet, sole meridiano clarius est. Diaphoretica vis quo titulo ipsi ascribatur, dictu admodum facile non est. Diaphoretica enim omnia vel materialiter talia sunt, vel formaliter, i. e. vel materiam seu humiditatem suppeditant per diaphoresin excernendam, vel sanguinem majorem in motum cient, ejusque serum hoc modo expellunt. Priori modo ♁ diaph. sudoriferum non esse, quilibet videt;

neque

neque ſecundo, id quod exinde probatur, quod ullam à ventriculo ejusque contentis mutationem pati recuſet, adeoque diſſolvi & conſequenter in lactea ipſumque ſanguinem propelli nequeat; ut probandum maneat Chymicis, quomodo ex ſpecifici hujus metalli calce meliora velint vel poſſint potius deducere. Neque etiam experientiæ ejusmodi ſunt, quæ de ipſius diaphoretica virtute nos penitus convincant; nunquam ego in ulla ex ijs, quos hoc in negotio feci, obſervationibus ab ♁ diaph. ſolo exhibito, ſine adjumento caloris vel motus externi, ſudorem potui deprehendere, verum non infrequenter nauſeas, vomituritiones, imò ipſos vomitus, pro doſeos ſc. ægrique virium differentia. Neque id mirum videri debet, ſi conſideremus, quam facili negotio in regulum ſeſe reduci patiatur; quanquam inſipidus ita pulvis ſtomacho impuro, infirmo, ſimplicius etiam nauſeæ eſſe poſſit. Quod alexipharmacam ejus virtutem attinet, ex dictis per ſe cadit, niſi eam admittere velimus per accidens talem, quatenus ſc. vomitum excitando venenum in ventriculo ſtabulans eliminare poſſet, quo quidem ſenſu ♁nij regulus, vitrum, aliaque ejus præparata plenius emetica multum ἀλεξιφαρμακότερα forent: quam parum autem hoc ſufficiat, pro ſtabilienda virtute alexipharmaca, in aprico eſt, quum alexipharmaca hactenus nota ſanguinem noſtrum vel ſpiſſum & quadantenus coagulatum reſolvendo, vel tenuem nimis & diſſolutum inſpiſſando, agere credantur, quod an de ♁ diaph. pronunciari queat, ex dictis æquus judicet lector.

Theſ. III.

Manu hic quaſi ducor ad perſtringenda leviter alexipharmaca, quo nomine inſigniri ſolent medicamenta, quæ morborum ita dictæ malignitati opponuntur. Quid ſit malignitas, multis hic diſquirere animus non eſt: cauſa ejus

com-

communiter adſcribitur acido vel fixo, ſanguinem quodammodo coagulanti, vel volatili & in urinoſum converſo, eundem reſolventi. Poſſet hic, & forſan non ſine ratione deberet haberi reſpectus ad viſcera, quæ à ſanguine vel multo ſpiſſoque, vel ab urinoſis diſſoluto, furente, admodum labefactata, vel inſigni obſtructione ſyncopticè, vel vaſorum ſuorum diæreſi & ſubſequente hæmorrhagia interna lipothymicè, ſubita ſtatus apparenter boni in malum converſione, immedicabili utplurimum fato, repentina morte jugulant. Cuicunque autem ex enumeratis cauſis alexipharmaca hactenus uſualia opponamus, manifeſtum eſt, hac ratione genuino modo ipſis obviam non iri. Ex alexipharmacis enim 1.) Urinoſa vel ſanguini jamjam furibundo calcar addunt, ejusque vim vaſa dilatandi, erodendi, perrumpendi adaugent, vel eidem multo, ſpiſſo, obſtruenti, orgaſmum & plethoram ad vaſa adjungunt; adde quod ſerum ſanguinis violentia nimis præcipiti expellant, ſanguinemque hoc modo fluido ſuo depauperando, obſtructionibus atque inflammationibus internis, non remedium, ſed augmentum fiant. 2.) Terrea, abſorbentia, abſorbendi præcipitandique virtute ſuas peragunt operationes, idque in primis viis, ultra quas vix ac ne vix quidem progrediuntur; at malignitatis cauſa utplurimum in primis viis non hæret: accedit, quod virtus eorundem leniter diaphoretica anceps admodum ſit, & nondum ſufficienter probata, qua quidem ſola ad eliminandum malignitatis virus contribuere aliquid poſſent. 3.) Alexipharmaca ſtrictè dicta, calida, quæ partibus ſuis ſulphureis, reſinoſis, ſanguinem majorem in motum agunt, in caſu ſanguinis diſſoluti adhiberi non debere, in aprico eſt, non ſolum ob orgasmum, quem augent, verum etiam ob ſerum, quod cito nimis abſumunt, & per conſequens utroque modo fibram jamjam tenſam ulterius intendunt, inque ruptionis

periculum adducunt. Sanguis coagulatus, non ſolum rariſſimè, ne quid gravius dicam, malignitatis cauſa obſervatur, niſi modo ſupradicto per viſcoſitatem explicari velit, (quanquam hoc ad chronicos potius ſpectet) verum etiam longè alia reſolventia requirit, quam quæ ſero educto, grumum relinquant, vel lentè in polypum abeuntem, vel celeriori fato in ulteriorem obſtructionem, inflammationem, gangrænam ſphacelumque internum, ſucceſſu lugubri, damnoque nunquam reparando. vid. quæ de regiminis calidi, fortiorumque diaphoreticorum abuſu ſcripſerunt ſeculi noſtri lumina Sydenh. & Bagl. Supereſt 4.) alexipharmacorum claſſis, Anglis præcipue hodiernis apprimè familiaris, acidorum, ſc. atque enixorum, quibus utuntur ſcopo refrigeratorio atque anturinoſo, laudabili conſilio, niſi ſpem ſæpenumero falleret eventus. Acidis quippe, cum moleculis terreis oleoſisque ſanguinis noſtri intra corpus combinari. motuque continuo atque affrictu & comminutione volatiliſari, & in urinoſa converti ſolenne eſt, id quod frequentiſſime obſervant, qui ſcorbuticorum noſocomia viſitant, quam facili negotio brevique temporis intervallo ſcorbutus frigidus in calidum abeat, Medicorumque imperitorum circulos interturbet. Abſit tamen, hæc ita dicta ſint, quaſi acida vel ſimplicia, vel enixa, aut etiam cum 🜍reis, reſinoſis prudenter combinata omni ſua laude privare vellemus, quin potius maneat ipſis ſuus honos, experientia Practicorum confirmatus, quum nec ſemper adeo longo temporis ſpatio opus habeant, quod ipſa in ſtatum urinoſum deducat, & in tranſitu operationes ſuas edere poſſint: imo quum putredini notoriè reſiſtant, quæ hic intentata eſt, ex hac etiam ratione proficua erunt. Videntur interim probare hactenus dicta, ab alexipharmacis multa poſtulari, quæ expectari ab iisdem ex ratiocinii fundamentis nec poſſint nec debeant.

Theſ.

Theſ. IV.

Pauca adhuc de ☿, qui duplici ex capite hic tractari meretur, 1.) qua ſalivationis auctor habetur 2.) qua nervinus audit & antepilepticus. Exhiberi ſolet pro excitando ptyaliſmo acidis jam plus minus ſubactus vel internè, uti ſunt ☿ dulcis, Panacea ☿ &c. vel in unguentis & ſuffumigationibus externè. Multi hic ſunt, qui ipſum quà rotundis volubilibusque moleculis conſtantem vaſa pervadere, viſcoſam lympham diſſolvere fluidamque reddere, atque hac ratione ſalivationem excitare prætendunt, quod, quam verè dictum ſit, ex ſequentibus adnotationibus eluceſcet, 1.) ſalivatio procurari poteſt ſine ☿, ſolo, ſed largo aquæ calidæ, infuſorum, decoctorum &c. potu, id quod frequentiſſimè obſervavi. 2.) iſtiusmodi ſalivatio ſine gravibus illis ptyaliſmum ☿alem concomitantibus ſymptomatibus, liberè, cum aliquali quidem glandularum ſalivalium intumeſcentia, ſed ſine dolore, procedit. 3.) ut ipſa ☿alis ſalivatio ritè procedat, cuilibet notum eſt, adhiberi ſolere uſum decoctorum largum & frequentem; etenim ☿ interdum glandularum quidem intumeſcentiam apprimè doloroſam, corroſionem, exulcerationem, & ipſum à compreſſione ſuffocationis periculum inducit, ptyaliſmum autem, i. e. ſalivæ copioſam & ſecretionem & excretionem ſub adjutorio iſto largius procurat. 4.) quocunque modo ☿ in uſum vocetur, ut corporis noſtri meatus atque canaliculos ſubintrare poſſit, ab acido ligetur, neceſſe eſt, ſique vel maxime in ſuffumigationibus purus ac ſine acido ingrediatur, id quod non plane evidens eſt, ſemper tamen cum copioſo, quod intus offendit, acido venereo, aliove conſortium init, idemque corpus conſtituit, quod microſcopio conſpectum ſec. obſ. Acad. Reg. Scient. Pariſ. minutos globulos ſpiculis undique armatos obſitosque refert: quæ ſpicula in vaſculorum parietes impingentia, pungendo velli-

candoque eadem irritant, motum eorum tonicum intendunt, liquoremque contentum, ſi fluidus ſatis ſit, promovent, & in iis vaſis, quæ canalibus prædita ſunt excretoriis, ſolitam ejus excretionem accelerant. Quod ſi ſpicula iſta, pro diverſo motu, ipſis intra corpus noſtrum impreſſo, à diverſo in diverſis ſanguinis motu, ſolidarumque vel integro adhuc, vel debilitato, vel p. n. aucto elatere dependente, ad glandulas ſalivales determinentur, ſalivationem cæteris paribus procurabunt, vel fieri incipientem incitabunt, faciliоremque ac copioſiorem reddent. Si vero, motu aliter dirigente, ad vaſa ſanguiveha vel oſſa ablegentur, in illis quidem inflammationes & hæmorrhagias, in iſtis autem cariem, exoſtoſes &c. nullam vero ſalivationem inducent. vid. quæ de hac materia ſcripſit Dn. Lemery Curſ. Chym. cap. de Mercurio. Nervinus habetur & antepilepticus in ſuo compoſito Cinnabari, qua ex ratione, non admodum liquet. Cinnabaris ab acidis non ſolvitur, ab alcalibus in ☿ reducitur, neuter ſtatus in nervos ullam ipſi actionem virtutemve permittit; ſpicula acidi 🜍 mercurii particulis in ♁ infixa, quantum in reliquis ☿ cum acido præparatis, non prominent, & ſi tantum prominerent, periculum inde pro nervis, ſi in illos offenderent, timendum potius foret, quam ſperandum remedium. Antepileptica eſſe per accidens poſſunt ☿alium plurima, quatenus vermes in primis viis necando, epilepſiæ cauſam non infrequentem è medio tollunt: an vero Cinnabaris, quæ intimius, quam reliqua ☿alia, cum acido ſuo cohæret, idem eademque facilitate præſtet, vocari adhuc in controverſiam poſſet. Cinnabaris Antimonii præ naturali & communi factitia virtutem forſan haberet emeticam, ſi in ſatis larga doſi exhiberetur, verum epilepſia & convulſiones à retentis vel aſſumtis, vomitorioque eliminandis, non ſolum rariores ſunt, verum etiam Cinnabaris ♁ proficua hic non foret, qua Cinnabaris, vel qua de ☿, ſed qua de antimonio participans: imo in tali caſu alia darentur & promptiora & tutiora remedia.

Tantum.